



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque  
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac  
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico  
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

**Sfondrati, Celestino**

**[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.**

50. Breve S. D. N. Innocentij Papæ ad Canonicos Apamienses.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38277**

presentasse al Signore. . . . il merito del Signore Don Errigo, che oltre alla sua bontà, è anco bene merito della Sede Apostolica per la santità delle cause, che promove in Roma, con suo dispendio, con fatiche, e con pericoli . . . mi favorisca di dire al Signor Don Errigo, che io li do il mio placet, per ottenere le reliquie de' santi, con questo patto, che egli si oblihi di esser santo, e di redintegrare al suo tempo le reliquie, che toglie à Roma con le reliquie, che poi resteranno del suo corpo. Mi raccomando con tutto l' cuore alle orationi . . . e di luy. 21. Octob. da Carbognano 1679.

## Documentum L.

Breve Sanctissimi D.N. INNOCENTII XI. PP.

Ad Canonicos Apamenses.

INNOCENTIUS PP. XI.

**D**ilecti Filij, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Nihil accidere Nobis tristius poterat nuntio, quem cum rumore ipso publico vestrae litterae attulerunt; decessisse bonae memoriae Franciscum Apamiensis Ecclesiae Episcopum, eam virtute, eoque Pastoralis zelo, & invicta animi constantia praeditum, ut Vir secundum cor Dei, & verè Apostolicus dici meruerit. Quod autem dolorem nostrum cumulat, eo tempore decessit, quo eum maximè vivere afflictis ejusdem Ecclesiae conditio postulabat. Causam enim vestram, quos tam vigili Pastore, tam provido parente orbatos, videmus, non mediocriter angimur. Omnem tamen doloris sensum ab animis nostris debet abstergere consideratio praemiorum, ad quae illum, sicuti sperare fas est, tot pro sua Ecclesia exhausti labores, tot incommoda, atque arumnae pro causa Dei forti magnoque animo ad supremum

B b h

mum

mum vitæ spiritum toleratæ, ex hoc mortali carcere evocârunt. Unde spes alia oriri debet, eum validiore in posterum patrocínio rebus vestris è Cœlo affuturum, neque passurum, ut Apamiensis Ecclesiæ Disciplinam tam sapienter à se, tam salubriter restitutam quisquam mortaliū invertat: sed potius à Misericordiarum Patre impetraturum, ut conversis in melius animis consiliisque aliter sentientium, pristina eidem Ecclesiæ pax, tranquillitasque reddatur, ut sponsæ sibi per tot annos ad extremum dilectæ, in præsens viduatæ, Præsul si minus pari, simili tamen spiritu ac virtute contingat; modò vos fideles inveniamini in Canonica libertate ipsius Ecclesiæ pro viribus tuenda, & in observandis sapientissimis constitutionibus, quas ab eo lucubratas, vobisque ad sanctioris vitæ regulam pro instituti vestri sanctitate propositas, Nos non ita pridem Apostolicâ autoritate firmavimus: quæ ut strenuè, & constanter exequamini, utque istius Diocesis Clerum in tradita ab ipso disciplina sedulò contineatis, supervacaneum ducimus adhortari; cum diuturno experimento perspecta virtus, fidesque vestra, plus etiam quàm à vobis petere æquum esset, polliceantur. Cæterum ex nostris ad eundem Episcopum Litteris decimâ septimâ Julij datis cognoscere potuistis, quàm præcipuum sibi locum inter Pontificias curas vindicet negotium Apamiense, cum quo plurimarum Gallici Regni Ecclesiarum, vel potius totius Ecclesiæ Catholicæ causâ conjuncta est. Meritas interim, rebus ab excessu Episcopi per vos piè ac fortiter gestis, laudes tribuimus, utque in instituto itinere strenuè pergatis, vos magnoperè hortamur, nihil omitturi eorum, quæ ad prosperum rerum exitum conducere posse intelligemus. Speramus autem ac planè confidimus, divinam bonitatem, vos

arque

atque Ecclesiam istam singulari cum vestra laude & pro-  
ventu ab omni tribulatione, quam subire necesse est, qui-  
cumque volunt piè vivere in Christo Jesu, quàm primùm  
liberaturam. Lata interim vobis omnia assiduo cum Di-  
vinæ Gratiæ incremento apprecamur, & intimo paterni  
amoris sensu Benedicimus. Datum Romæ apud Sanctam  
Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 25. Septemb.  
1680. Pontificatus Nostri anno quinto.

Marius Spinula.

## Documentum LI.

Breve Sanctissimi D. N. INNOCENTII XI. PP.  
Ad Illustrissimum Archiepiscopum Tholosanum.

INNOCENTIUS PP. XI.

Venerabilis Frater. Non possumus non vehementer  
mirari, quod ad aures nostras pervenit, videlicet Frater-  
nitatem tuam veritam non esse passim absolvere eos, quos  
novo & injusto Regaliæ titulo, in Apamiensis Diocesis  
Beneficia intrusos bonæ memoriæ Franciscus Episcopus  
declaravit obstructos censuris, à Generali Concilio Lugdu-  
nensi inflictis; cum præsertim non desint, qui parochiales  
quoque Ecclesias (rem antea inauditam) eo prætextu oc-  
cupaverint. Admirationem verò Nostram vehementer  
auget, quod nihil statuere potes contra jura, libertatēque  
Ecclesiæ Apamiensis, quin idem contra Tholosanam, &  
universam Provinciam istam statuas. Præterea ignorare  
non potes, Episcopum ipsum Apamiensem à tuis Senten-  
tijs ad Nos, & ad hanc sanctam Sedem appellasse, Nosque

Bbb 2

appel-